

TABULA IIX.  
DE  
MATERIA. (a)

UT QVOD, hocq; est COMPOSITUM ex materiâ & formâ, dicitur aliàs *causatum primarium*, quia *primariò* in generatione tanquam perfectius intenditur.

I. *Causatum* materiæ, sive id cuius causa materia est, id autem duplex vel

UT QVO, quod est ipsa *forma* ( $\gamma$ ), si materialis sit, quæ è potentiâ materiæ educitur, & ab eâ in fieri & esse dependet. Dicitur aliàs *Causatum Secundarium*, quia *secundariò* in generatione intenditur; nam compositum produci non potest, nisi forma sit producta. E. forma *secundariò* tantum intenditur, compositum autem *primariò*. *Immaterialis* autem forma à materiâ non causatur, nisi velis dicere, materiam, ut correlatum, hanc causare, sc. quoad *esse respectivum* & quatenus forma sit.

II. *Ratio causandi* est potentia passiva, quæ à materia realiter non differt, sed ipsa ejus est substantia.

I. *INFIERI*, & est *PASSIO*, per hoc enim quod materia *patitur*, ex eâ & *forma* educitur & *compositum* fit. Quemadmodum id quod agit, per actionem causa efficiens est; ita subiectum per hoc quod patitur, causa materialis est. v. gr. quod statuarius agat in *as*, istud patitur, & postea tam *statua*, (tanquam *compositum*), quam *figura* ejus, (tanquam *forma artificialis*) producitur.

III. *Causalitas*, quæ, cum materia sit causa & formæ & compositi, tum in *FIERI* tum in *FACTO* esse, est duplex ( $\delta$ ), respectu utriusque

II. *IN FACTO ESSE*, & tunc respectu *COMPOSITI* in *FACTO ESSE* considerati est *unio* ( $\epsilon$ ) inter materiam & formam, quatenus illa se habet *ex parte materia*. Respectu autem *FORMÆ* in *FACTO ESSE* consideratæ est *perpetua dependentia forma quoad ESSE suum à materiâ*. Postquam enim forma per materiæ passionem producta est, deinceps ab eadem materiâ in *ESSE* suo dependet, quamdiu existit, ita ut non nisi in eâ *ESSE* suum tueri queat. Et sic excluditur anima rationalis, quæ in *esse suo* à materiâ non ita dependet. ( $\zeta$ )

I. *SENSIBILIS*, quæ est corpus naturale indutum accidentibus *sensibilibus*. Vocatur *MATERIA SENSIBILIS*, non quod ipsa *secundum substantiam* sensu percipiatur, sed quod *qualitatibus sensibilibus* sit vestita. Et Aristotelis est quælibet *mobilis* materia, quatenus formæ alicui subest. Ad *materiam sensibilem* pertinent. 1. Quodcunque corpus naturale, comparatione formæ, quæ in superficie ejus hæret, ut aurum respectu poculi. 2. Corpora simplicia sublunaria, quatenus ex iis mixtis fit aut factum est aliud corpus. 3. Corporum mixtorum partes materiales & maximè dissimilares. 4. Ipsorum corporum simplicium materia, tum cælestium, tum sublunarium. Nempe si sensibilis est quæcunque *mobilis* materia, utique & corpora cælestia habent *sensibilem* materiam: quippe quorum materia est *secundum locum mobilis lib. 8. Met. c. 4.* imò expresse *corpus naturale & sensibile* appellatur *l. 1. de celo c. 9. t. 93.* (n)

II. *INTELLIGIBILIS*, quæ nihil aliud est, quam *magnitudo* s. *quantitas continua*, quæ in *lineam superficiem & corpus ex trimâ dimensione constans* dividitur, ac *materia* dicitur per quandam analogiam & similitudinem, quam habet cum materiâ physicâ. Sicut enim materia physica in se suâq; naturâ nullam habet formam, omnium tamen formarum capax est; Sic magnitudo vel quantitas in se suâq; naturâ nullam certam involvit figuram, apta tamen est ad quamlibet figuram recipiendam, potest enim fieri rotunda, quadrata, triangularis. *Intelligibilis* dicitur, quia quatenus magnitudo à Mathematico consideratur, non cadit sub sensum, sed tantum in intellectu est, consideratur enim ab eò nullâ habitâ ratione *qualitatum sensibilium*, utut magnitudo cum *sensibilibus* qualitatibus conjuncta sit. e. gr. nulla datur superficies, quæ non affecta sit *sensibilibus* qualitatibus; cum autem à Mathematico consideratur superficies, qualitates istæ *sensibiles* non attenduntur, sed intellectus circa solam versatur superficiem, *sine qualitatibus sensibilibus*. Quia autem superficies & quælibet magnitudo extra intellectum non est *sine qualitatibus sensibilibus*, sed saltem *sine* illis concipitur ab intellectu; ideò Magnitudo dicitur *intelligibilis* v. gr. quando Mathematicus considerat triangulum, non simul considerat id, in quò est triangulus, an sit aliquid molle, durum &c.

MATERIA est principium passivum ex quò aliquid fit, aut factum est, cum in fit, (e)  
Ubi occurrunt

PRIMA, quando Materia vel est

IV. *Distinctiones* quarum

(E) 2

PRIMA,